Jubileo plenario concedido por la Santita de nostro

S. el Papa Pio IIII. a todos los fieles Christianos que visitaren el Colegio e casa de S. Maria de la Charidad de la gran Cibdad del Mexico e ayudaren cõ sus limosnas a sustẽtar e remediar las dõzellas huerfanas della.







PIVS PP. IIII.

VNIVERSIS Christifidelibus Præsentes literas inspecturis Salutẽ, & Apostolicam Benedictionem. Saluatoris Domini Nostri Iesu Christi, qui ad huius mundi infima, vt humanum genus peccatorum mole obrutum æterno Patri reconciliaret, descendere, & carnem nostram ex vtero virgineo assumere, ac tandem acerbissimum Crucis tormentum subire dignatus est, exẽpla sequentes oues gregis sui curæ nostræ diuinitus commissas, & potissimum illas quas in tam longis erroris inueterati tenebris sedentes Christianæ tandem fidei veritatis radiis illuminare voluit, vt in euangelica, quam nouiter Altissimo miserante ingressi sunt via ambulantes ad deuotionis sinceritatem, & hospitalium præsertim pauperum virginum orphanarum, aliorumq; piorum locorum visitationem, ac necessaria charitatis, & misericordiæ opera inibi exercenda spiritualibus muneribus Indulgentiis videlicet, & peccatorum remissionibus libenter inuitamus, vt per exercitium huiusmodi macula suorum abolita delictorũ ad sempiternæ beatitudinis gaudia feliciter peruenire mereantur. Cum itaq; sicut accepimus in Ciuitate Mexicañ. nouæ Hispaniæ Indiarum maioris Oceani vna Confraternitas sub inuocatione Sacratissimi Corporis Domini Nostri Iesu Christi, & Charitatis. nouiter erecta. & institu ta reperiatur, quæ cuiusq; Rectores pro tempore, vel ab ea deputati Zelo charitatis moti de bonis, sibi à Deo collatis, ex aliis elemosinis à Christifidelibus pro tempore erogatis, varia, & diuersa subsidia pauperibus vtriusq; sexus & ægenis contribuunt, aliaq; pietatis opera exercent. Ac inter cætera attendentes, quod in dicta Ciuitate magna puellarum, orphanarum ex hominibus Hispanis, & mulieribus Indis procreatarum multitudo existebat, quæ parentibus, & re familiari omnino destitutæ peccatis potius quàm virtutibus seruiebant, & creatorem altissimum multifariam offendebant, vnam domum, seu capellam sub vocabulo Collegii Beatæ Marię de Charitate cum Ecclesia Campanili campana, & choro per Venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Mexicañ. consecrata, & approbata, ac paramentis ad cultum Diuinum necessariis ornata construxerint. Ibiq; varias, & diuersas puperes ex omni genere, et maxime ~~Hybridis puellas virgines parentibus orbatas~~ reduxerint, & hodie reducant, & recipiant, illas doctrina Christiana, & bonis moribus instruentes & postmodum ex bonis dictæ Confraternitatis, & aliis charitatiuis subsidiis nuptui tradentes in non leue dictarum virginum subsidium atq; iuuamen. Nos igitur attendentes quòd ex tam frequenti dictarum puellarum, quæ Indies eo cõfluunt, & recipiuntur vndequaq; concursu, ad earum sustentationem bona dictæ Confraternitatis nequaquàm sufficere possunt. Cum dictæ domus reditus tenuissimi, & propter grauissimas impensas quas ipsa Confraternitas iugiter subire cogitur illius facultates admodum exhaustæ sint, ac propterea Christifidelium suffragia plurimum ad id opportuna fore videantur necessitatibus prædictæ domus succurrere, & eosdem cõfratres ab huiusmodi onere subleuare volentes de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate cõfisi Vniuersis, & singulis vtriusq; sexus Christifidelibus vere penitentibus, & confessis, seu confitendi propositum habentibus, qui domum, seu capellam prædictam in Conceptionis, & visitationis eiusdem Beatæ Mariæ virginis festiuitatibus, & illarum Octauis à primis Vesperis, vsq; ad occasum Solis sequentium dierum huiusmodi deuotæ visitauerint, Et inibi pro incremento Catholicæ Ecclesiæ, ac pace inter Principes Christianos conseruanda ad Deum præces effuderint, ac pro manutentione, ac alimonia dictarum virginum manus porrexerint adiutrices, atq; etiam senibus, & valetudinariis, mulieribusq; pregnantibus infirmis, & aliis legitimo impedimento detentis, qui pro præmissis aliquid illuc iuxta eorum deuotionem transmiserint, singulis diebus, quibus, & quotiens id fecerint, indulgentiam plenariam, & remissionem omnium peccatorum suorum in forma Iubilei, & Sanctę Matris Ecclesiæ consueta misericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Et vt ipsi Christi fideles prædicto tempore conscientię pacem, & animarum salutem Deo propicio facilius consequantur, & indulgẽtiæ, ac remissiones eiusdem capaciores reddantur sibi quod vnum presbyterum secularem seu cuiusuis ordinis regularem in suum confessorem eligere qui illorum confessionibus tẽpore prædicto diligenter auditis ipsos ab omnibus & singulis eorũ peccatis criminibus, excessibus, & delictis, quantũcunq; grauibus, & enormibus, etiam in casibus Sedi Apostolicę reseruatis, exceptis contentis in Bulla Cœnę Domini Apostolica auctoritate absoluere, eisq; pœnitentiam salutarem iniungere. Necnon vota per eos emissa vltra marino, visitationum liminum eorundem Apostolorum Petri, & Pauli de Vrbe, & Sancti Iacobi in Compostela. Necnon Religionis, & Castitatis votis duntaxat exceptis in alia pietatis opera commutare libere, & licite valeant auctoritate prædicta tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus, & indulgemus eisdem præsentibus, quas sub quibusuis similium Indulgentiarum, etiam pro Cruciata Sancta, & Fabrica Basilicæ eiusdem Sancti Petri de Vrbe suspensionibus, & reuocationibus per Nos, aut Sedem Apostolicã factis, & faciendis nullatenus comprehendi, ac quarum transumptis, copiisq; impressis alicuius Notarii publici manu subscriptis, & personæ in dignitate Ecclesiastica cõstitutæ, aut alicuius Ecclesiasticæ Curiæ Sigillo munitis eadẽ prorsus fidem, quæ originalibus ipsis adhiberetur, si exhibitæ, vel ostensæ forent, adhibendam etiam decernimus, post viginti Annos proximos minime valituris. Dat. Romę apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris Die xxi. Augusti. M. D. LX. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Hieronimus Martinengus.

A. Calorius.

Ado: Cps Casenatin manu ppa

Ego Blasius de Casarinis ab archiu Zonarie Curie Gruptor auscultaui et collationaui [illegible]

20.

Subsidio, pleníssimo concedido
al Collegio de las Niñas.

Colegio dela Caridad del
Mexico -

Subsidio plenissimo para el Collegio de
las Doncellas.

Pasado.

1560/170